

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta
Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvtatæ Dicvntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

Vtrum Deus possit facere quæ sunt alijs possibilia, vt peccare, ambulare,
& huiusmodi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](#)

QVÆST. I. DE POTEN. DEI, ARTIC. VI.

sunt fini commensurata, non de necessitate vult. Finis ergo naturalis diuinæ voluntatis, est eius bonitas, quam non uelle non potest. Sed fini huic non cōmensurantur creaturae, ita q̄ sine his diuina bonitas manifestari non posset, quod Deus intendit ex creaturis. Sicut enim manifestatur diuina bonitas per has res quas nunc sunt, & per hunc rerum ordinem, ita potest manifestari per alias creaturas, & alio modo ordinatas, & ideo diuina uoluntas absque præjudicio bonitatis iustitia, & sapientia, p̄t te extendere in alia quam quæ facit. Et in hoc fuerunt decepti errantes. Aestiuauerūt. n. ordinē creaturarum esse quas cōmensuratum diuinæ bonitati, quasi absque eo esse non posset. Patet ergo, quod absolute Deus non potest facere alia quam quæ fecit. Sed quia ipse non potest facere, q̄ contradictria sint simul uera, ex suppositione potest dici, q̄ Deus non potest alia facere quam quæ fecit: supposito enī, quod ipse non uelit alia facere, uel quod præcuerit & non alia facturum, non potest alia facere, ut intelligatur composite, non diuini.

AD PRIMVM ergo dicendum, q̄ hac locutio, Deus non potest facere nisi quod praescit se facturum, est duplex: quia exceptio p̄t referri ad potentiam, q̄ importatur per ly p̄t, uel ad actum, quæ importatur per ly facere. si primo modo, tunc locutio est falsa. Plura n. p̄t facere quam praesciat le facturum: & in hoc sensu rō procedebat. Si autem secundo modo, si locutio est uera, & est sensus, quod non potest, q̄ aliquid sit a Deo, & non sit a Deo prædictum. Sed hic sensus non est ad propositum.

AD SECVNDVM dicendum, q̄ in Deo non cadit p̄terit & futurū: sed quicquid est in eo, est totum in plenitatem eternitatis. Nec præterit uel futurū in eo uerbum significatur, nisi per respectum ad nos: unde non habet hic locum obiectio de necessitate præteriti. Nihilominus dicendum est, quod obiectio non est ad propositum: quia prescientia non com mensuratur potentia faciendo, de qua est quæstio: sed solum diuina actioni, ut dictum est.

AD TERTIVM dicendum, q̄ illi qui dicebāt Deū agere ex necessitate naturæ, ponebant positionem de qua agitur non solum rōne immutabilitatem naturæ, sed rōne determinationis naturæ ad unum. Sapientia autem diuina non est determinata ad unum: sed se hēt ad multa facienda: unde non est simile.

AD QVARTVM dicendum, quod Christus non poterat uelle dicere illa uerba absolute: quæ mendacium important sine præjudicio sua bonitatis. sic autem non est in proposito: ut ex dictis patet. Etiō non sequitur.

AD QVINTVM dicendum: quod absolutum, & regulatum non attribuuntur diuinae potentiae: nisi ex nostra consideratione: quia potentia Dei in se considerata quæ absoluta dicitur, aliquis attribuit: quod non attribuit ei secundum quod ad sapientiam comparatur: prout dicitur ordinata.

AD SEXTVM dicendum, q̄ potentia Dei nunquam est in re sine sapientia: sed a nobis consideratur sine ratione sapientie.

AD SEPTIMVM dicendum, q̄ Deus fecit quicquid est iustum in actu, non autem quicquid est iustum in potentia: potest enim aliquid facere, quod nunc non est iustum: quia non est, tamen si esset, facaret iustum.

AD OCTAVVM dicendum, quod diuina bonitas potest se commutare ordinate, non solum isto modo quo res operatur: sed multis aliis.

AD NOVM dicendum, q̄ licet Deus non uelit face-

re nisi quæ facit, potest tamen alia velle. Et ideo absolute loquendo, potest alia facere.

AD DECIMVM Dicendum, quod rationes illas, de quibus Dionys. loquitur, intelligit esse productivas existentium absolutæ, nō solum autem eorum, quæ nunc sunt in actu.

AD VndeCIMVM Dicendum, q̄ in hac quæstione versatur, vtrum eorum, quæ nec sunt, nec erūt nec fuerunt, quæ tamē Deus facere potest, sit idea. Videtur dicendum, q̄ si idea secundum completam rationem accipiatur, s. secundum quod idea nominat formam artis, non solum intellectu ex cogitatam, sed etiam per voluntatem ad opus ordinatam, sic prædicta non habent ideam. Si uero accipiatur secundum imperfectam rationem, prout scilicet est solum ex cogitata in intellectu artificis, si habet idem. Patet. n. in artefacto, quod ex cogitat aliquas operationes quæ nunquam operari intedit. In Deo uero quicquid ipse cognoscit, est in eo per modum ex cogitati: cum in ipso non differat cognoscere actu & habitu. Ipse enim non uit totam potentiam suam & qui cūd potest. Vn de omnibz quæ potest, habet rationes quæ ex cogitatas.

AD DVODECIMVM Dicendum, quod intelligentem est hoc Deum non posse: quod non uult se posse. Et sic non facit ad propositum.

AD DECIMVM TERTIVM Dicendum, q̄ licet Deus sit immutabilis, tamen eius voluntas non est determinata ad unum in his quæ facienda sunt. & ideo habet liberum arbitrium.

AD DECIMVM QVARTVM Dicendum, quod optimaria ratio, quæ Deus omnia facit, est sua bonitas, & sua sapientia, quæ manerent etiam si alio uel alio modo facerent.

AD 15. Dicendum, quod illud quod facit, est optimum per ordinem ad Dei bonitatem. Et ideo quicquid aliud est ordinabile ad eius bonitatem secundum ordinem suæ sapientiæ, est optimum.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Deus possit facere quæ sunt alijs possibilia.

Sexto quæritur: vtrum Deus possit facere quæ sunt alijs possibilia, ut peccare, ambulare, & huismodi. Et uerū quod sic. Quia Aug. dicit, quod melior est natura, quæ potest peccare, quam quæ peccare non potest: sed omne quod est optimum, est Deo attribuendum. ergo Deus potest peccare.

¶ 2 Præt. Illud, quod est laudabilitas, non debet Deo subtrahi, sed in laudem uiri dicitur. Eccl. 3.1. Qui potuit transgrexi & non est transgressus: ergo potest transgrexi & nō transgrexi Deo debet attribui.

¶ 3 Præt. Philosophus dicit, potest Deus & studiūs praua agere: ergo Deus potest peccare.

¶ 4 Præt. Quicunque consentit in peccatum mortale, peccat mortaliter: qui cūq̄ præcipit peccatum mortale, cōsentit, imo quodammodo principaliiter facit. Cum ergo Deus præcepere peccatum mortale Abraham, scilicet, quod interficeret filium innocentem, & Osē, q̄ acciperet mulierem fornicariā: & faceret ex ea filios fornicationis, & Semey, ut malediceret David: ut habetur 2. Reg. 16. quem constat peccasse ex poena sibi inflicta 2. Reg. 12. Videlicet, quod ipse peccauerit mortaliter.

¶ 5 Præt. Quicunque cooperatur peccanti mortaliter, ipse peccat mortaliter. Sed Deus cooperatur peccanti mortaliter. Ipse enim operatur in omni operatione, & per consequens in omni eo q̄ mortaliter peccat: ergo Deus peccat.

¶ 6 Præt.

Q V A E S T O R I . DE P O T E N C I A D E I . C A R T I C . V I I O

6

In li. de gr.
ria & li. arb.
ca. 21.10.7.

¶ 6. Præt. Aug. in lib. de natura, & libero arbitrio, & habetur in glo. Ro. 1. Quid Deus operatur in cordibus hominum, inclinando voluntates eorum in quocunque voluerit, sive in bonum sive in malum. Sed inclinare voluntatem hominis in malum, est peccatum: ergo Deus peccat.

¶ 7. Præt. Homo factus est ad imaginem Dei, ut ha-
betur. Ge. 1. Sed quod intenit in imagine, oportet in exemplari. Hominis voluntas voluntas est ad tr. alibet. ergo & voluntas Dei, & ita pos-
test peccare, & non peccare.

¶ 8. Præt. Quicquid potest virtus inferior, potest & superior. Sed homo cuius virtus est inferior di-
uina virtute, potest ambulare, peccare, & alia hu-
iustimodi facere. ergo & Deus.

¶ 9. Præt. Tunc aliquis omittit, quando non facit bona, quæ potest. Sed Deus potest multa bona fa-
cere, quæ non facit. ergo omittit, & ita peccat.

¶ 10. Præt. Quicunque potest prohibere peccatum & non prohibet, videtur peccare. Sed Deus potest prohibere omnia peccata: cum ergo non prohibeat, videtur, quod peccet.

¶ 11. Præt. Amos 3. habetur, non est malum in ciuitate quod Deus non faciat. Hoc autem non potest intel-

ligi de malo poena; Nam dicitur Sapientia. i. Quod

Deus mortem non fecit, ergo oportet intelligi de

malo culpa, & sic Deus est actor mali culpe.

SED CONTRA IACOB. dñs. Deus lux est, & tenebrae in eo non sunt illæ: sed peccata sunt tenebrae spirituales, ergo peccatum in Deo esse non potest.

¶ 12. Præt. Princeps propriis legibus, astrius non te-
netur: sed opine peccatum est contra legem diuinam, vt Aug dicit: ergo Deus peccato astringi non potest.

RESPON. Dicendum, qd sicut supra dictum est, Deum absolute aliquid non posse, dñs. dupliciter.

Vno modo ex parte voluntatis. Alio modo ex par-

te potentie. Ex parte siquidem voluntatis, Deus non

potest facere quod non potest velle: cu ait nulla vo-
luntas possit velle contrarium eius, quod naturaliter

vult, sicut voluntas diuina non potest velle contrarium sua bonitatis, quæ naturaliter vult: peccatum autem

est defectus quidam a diuina bonitate. Vnde Deus non potest velle peccare. Et ideo absolute cōcedendū est, qd Deus peccare non potest. Ex parte vero potentie,

dñs. Deum non posse aliquid dupliciter. Vno modo ratione ipsius potentie. Alio modo ratione possi-
bilis. Potentia siquidem eius quantum in se est, cu

sit infinita, in nullo deficiens invenitur, quod ad
potentiam pertinet. Sed quedam sunt, quæ sūm no-

men potentiam importent, quæ sūm rem sunt po-
tentia defectus: sicut multe negationes sunt, quæ

in affirmationib. includuntur: vt cum dñ posse de-
ficere, vt secundum modum loquendi, quedam

potentia importari, cum magis potentia defectus im-
portetur. Et propter hoc, potentia aliqua dñ esse

perfecta sūm Philo. 5. Metap. quando ista non potest.

Sicut enim illæ affirmaciones habent vim negatio-
num sūm rem, ita illæ negationes habent vim af-
firmationi. Et propter hoc, dicimus Deū non posse desiderare, & per consequens ne posse moueri: quia
motus, & defectus quandam imperfectionem impor-
tant, & per consequens non posse eum ambulare, nec
alios actus corporeos exercere, qui sine motu non

fiant. Ratione vero possibilis dñ Deum aliquid non

posse facere, quia id contradictionem implicat, vt
ex supradictis pater, & per hunc modum dñ, qd non

potest facere alium Deum eum sibi. Implicatur enim contradictione ex eo, qd factum oportet el-

A se in potestate aliquo modo, cu recipiat esse ab alio,
& si non potest esseactus purus, quod est proprium
ipsius Dei.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod illa compa-
ratio non est intelligenda uniuersaliter, sed solum
inter hominem, & animalia bruta.

AD SECUNDUM dicendum, quod id quod dici-
tur in laudem hominis, non semper est congruum
laudi diuina immo est blasphemia, ut si diceremus
Deum potestere, & huiusmodi. Aliquid enim, ut
dicit Dionysius, est in inferiori natura laudabile, quod
in superiori natura uituperatur.

AD TERTIUM dicendum, qd uerbū Philosophi est
intelligendum sub conditione voluntatis. Hęc enim
conditionalis est uera, Deus potest prava agere si
uult: nil enim prohibet conditionalē esse uera, li-
cet antecedens, & consequens sint impossibilia, ut
patet in hac. Si homo uolat, habet alas.

AD QUARTVM dicendum, qd nihil prohibet aliquę
actum, qui in se esset peccatum mortale, aliqua circum-
stācia addita fieri iurtosum. Occidere n. hominem
abfoliute peccatum mortale est, sed ministro iudicis
occidere hominem propter iustitiam ex pcepto iudicis,
nō est peccatum, sed actus iustitiae. Sicut autem prin-
ceps ciuitatis habet disponere de hominib. quād
ad uitā, & mortem, & alia quæ cūq; pertinent ad

finē sui regiminis, qd est iustitia, ita Deus habet om-
nia in sui dispositione dirigere ad finē sui regimi-
nis, quod est eius bonitas. Et ideo licet occidere si-
liu innocentē, de se possit esse peccatum mortale, tñ
si hoc fiat ex pcepto Dei propter finē, quæ Deus
prævidit, & ordinauit, licet est sit homini ignotus,
non est peccatum, sed meriti. Et similiter est dicendum
est de fornicatione. Os̄e, cum constet Deum esse
ordinatorem totius humanæ generationis: quam
uis quidam dicant, qd hoc non acciderit sūm uerita-
tem rei: sed sūm uisionem prophetie. De pcepto
autem Semey est dicendum alter. dñ enim Deus dupli-
citer pcepti. Vno modo loquendo spiritualiter,
uel corporaliter per substantiam creatā, & sic pcepit
Abrahā & Prophetis. Alio modo inclinando, si-
cū dñ pceptisse uermi, ut comedere hēderā, lo-
ne primo. Et per hunc modum pceptit Semey,
ut malediceret David: inquantū cor eius inclina-
uit, & hoc per modum qui infra dicetur.

AD QUINTUM dicendum, qd operatio peccati, quād
tū ad id quod habet de entitate, & actualitate, refer-
tur in Deum sicut in causam: quantum uero ad id,
quod habet de defosmitate peccati, refertur in li-
berum arbitrium, nō in Deum, sicut quicquid mo-
tus est in claudicatione, est à uirtute gressuua, defor-
mitas autem eius est à curvitate cruris.

AD SEXTUM dicendum, quod Deus non dicitur
inclinare voluntates hominum in malum, immi-
tendo malitiam, uel ad malitiam commouendo, sed
permittendo, & ordinando, ut uidelicet, qui eru-
ditatem exercere consentiunt, in illos exerceant,
quos dignos Deus iudicat.

AD SEPTIMVM dicendum, qd non est necessarium
quicquid in homine inuenitur, quād sit ad ima-
ginem, in Deo inueniri, & tñ in proposito voluntas
Dei est ad utrūlibet, quia non est ad unū obiectū
determinata. Potest enim hoc facere, uel nō facere,
aut facere hoc, nel illud. Non in sequitur, quod ali-

quid istorum possit malefacere: quod est peccare.

AD OCTAVUM dicendum, quod obiectio il-
la teneret in his, qd pertinent ad potestatis perfe-
ctionem, non autem in his quæ important potes-
tatis defectum.

C. a. de di-
u. no. part.
4. a medio.

Lege 4. 32.
2.2.1. ca. de
Abraham &
ibidem ad fe-
cindum de
Oter. D. 967.

In solu-
tione ad 6. arg.

A.D.

Art. 5. huic
qualit.

QVAEST. LIAD E POTEN. DEI, ARTIC. VII. V.

Ad non vnum dicendum, quod dicet Deus possit multa bona facere, quae non facit: non tamem omittit: quia non debet illa facere, quod requiriatur ad rationem omnipotens.

¶ Et similiter dicendum est ad decimum: nam non est reus peccati, qui peccatum non impedit: nisi quando impedire deberet.

Ap. xi. dicendum, quod verbū Amos intelligitur de malo pēna. Quod autem dicitur Sapien. i. Deus mortem non fecit, intelligitur quantum ad ipsam causam mortis, quae est meritum culpe, vel quantum ad primā naturā institutionem, qua fecit hominem suō modo immortalem.

Verum Deus sit omnipotens.

Sep̄mo queritur, quare Deus dicatur omnipotens. Et videtur, quod dicatur omnipotens, quia simpliciter omnia possit. Sicut enim Deus dicitur omnipotens, ita dicitur omni sciens: sed dicitur omnipotens, quia simpliciter omnia scit. ergo & omnipotens dicitur, quia simpliciter omnia potest.

¶ Pr̄. Si nō ideo dicatur omnipotens, quia simpliciter omnia possit, tunc h̄c distributio importata, non est absoluta, sed accommodata. Talis autē distributio nō est vniuersalis, sed determinat ad aliquid. ergo diuina potentia est ad aliquid determinata, & non est infinita.

SED CONTRA. Deus non potest facere, sicut dictum est, ut affirmatio, & negatio sint simul vera: nec potest peccare, nec mori. Hec autē includuntur in hac distributione, si absolute sumatur: ergo nō debet absolute sumi, & ita Deus nō potest dici omnipotens, quia omnia possit absolute.

¶ Item videtur, quod dicatur omnipotens, quia potest omnia quae vult. Dicit enim Aug. in enchir. Non ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quicquid vult, potest.

SED CONTRA, beati possunt quicquid volunt, alter voluntas eorum non est perfecta: nō tamen dicitur omnipotens: ergo hoc nō sufficit ad rationem omnipotentia, quod Deus possit quicquid vult. ¶ Pr̄. Voluntas sapientis nō est ad impossibilium: unde nullus sapiens vult, nisi quod potest, nec nū quilibet sapiens est omnipotens: ergo idē quod prius.

¶ Item videtur, quod dicatur omnipotens, quia possit omnia possibilia. Dicitur enim omni sciens, quia scit omnia scibilia ergo par ratione dicitur omnipotens, quia potest omnia possibilia.

SED CONTRA. si dicitur omnipotens, quia potest omnia possibilia, aut hoc est, quia potest omnia possibilia scibi, aut quia potest omnia possibilia naturae. Si quia potest omnia possibilia naturae, tunc eius omnipotentia naturae potētiā non excedit, quod est absurdum: si vero quia potest omnia possibilia scibi, tunc pari ratione quilibet dicitur omnipotens, quia quilibet potest omnia possibilia scibi.

¶ Et pr̄terea est ibi quædam exppositio per circū locutionem, quae non est conueniens.

¶ Item queritur quare Deus dicitur omnipotens, & omni sciens, & non omniuolens.

RESPON. Dicendum, quod quidam volentes rōnē omnipotentia assignare, quædam acciperunt, quæ ad rationem omnipotentia non pertinent, sed magis sunt causa omnipotentia, vel pertinētia ad perfectionem omnipotentia, vel pertinētia ad rōnē potentia, vel ad modum habendi potentia. Qui-

dami enim dixerunt, quod ideo Deus est omnipotens, quia habet potentia infinitam. Qui non dicunt rationē omnipotentia, sed causalē, sicut anima rōnē est causa hominis, sed nō est eius diffinitio. Qui damvero ideo dixerūt Deum omnipotentem, quia non potest aliquid pati: nec potest deficere; nec aliquid potest in ipsum, & alia huiusmodi, quae ad perfectionem pertinent. Quidam et dixerūt, quod ideo dicitur omnipotens, quia potest quicquid vult, & hoc habet se & per se, quod pertinet ad modum habendi potentiam. Hęc autē rationes omnes ideo sunt insufficiētes, quia per̄mitunt rationes operationum ad obiecta, quas implicat omnipotētia. Et ideo dicendum est, quod accipienda est aliqua triū viarum, quae taliter sunt in obiectendo, & dicunt comparationē ad obiecta. Dicendum ergo est, quod sicut supra dictum est, potentia Dei, quantum est de se, ad oīa illa obiecta se extendit, que contradictionē non implicat. Nec t̄stantia de illis est, quae defectū important, vel corporalem motum, quia possit ea, Deo est non posse. Ea vero, que contradictionē implicant, Deus non potest, quae quidem sunt impossibilia secundum Relinquit ergo, quod Dei potentia ad ea se extenderat, quae sunt impossibilia secundum. Hęc autē sunt, que contradictionē non implicant. Constat ergo, quod Deus ideo dicitur omnipotens, quia potest omnia, quae sunt possibilia secundum se.

Ad PRIMVM ergo dicendum, quod Deus dicitur omnipotens, quia scit omnia scibilia: falsa autē, quae non sunt scibilia, nescit. Impossibilia autem secundum se comparantur ad potentiam, sicut falsa ad scientiam.

Ad SECUNDVM dicendum, quod ratio illa procederet, si distributio terminaretur infra genus possibilium: hoc modo, quod non se extenderet ad omnia possibilia.

Ad illud, quod queritur de alia rōne omnipotētia, dicendum, quod possit quicquid vult facere, nō est sufficiens ratio omnipotētia, sed est sufficiens signum omnipotētiae. Et sic intelligendum est verbū Aug. Ad illud quod arguitur de tertia rōne dicendum, quod Deus dicitur omnipotens, quia potest omnia possibilia ab solute, & ideo obiectio nō recte procedit de possibilibus Deo, vel nature. Ad illud, quod ultimum queritur, dicendum, quod in his, quae aguntur per voluntatem, vt dicitur. Metaph. potentia & scientia determinantur ad opus per voluntatem, & ideo scientia & potentia in Deo quād non determinata, uniuersaliter pronuntiantur, ut cū dicitur omnipotens, vel omnipotens: sed noluntas qua determinat, nō potest esse omnium, sed corum tātum ad quę potentiam, & scientiam determinant. Et ideo Deus non potest dici omniuolens.

QVAEST. II.

De potentia generativa in diuinis.

Et habet sex articulos.

¶ Pr̄mo enim queritur, Vtrum in diuinis sit generativa potentia.

¶ Secundo, Vtrum potentia generativa in diuinis dicatur essentialiter, vel notionaliter.

¶ Tertio, Vtrum potentia generativa in actu generationis procedat per imperium voluntatis.

¶ Quartio, Vtrum in diuinis possint esse plures filii.

¶ Quinto, Vtrum potentia generandi sub omnipotētia comprehendatur.

¶ Sexto, Vtrum potentia generandi, & potentia creandi sint idem.

ARTI.